



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum I. Daphne, Virgo Laureata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)



SYMBOLVM I.

Daphne Virgo Laureata.

Ex 1. Meta. Ovid.

Ethicè.

1. Cura Castitatis in Daphne. 2. Castitatis præsidia. 3. Castitas fugiendo vincit. 4. Laureatus Castitatis triumphus. 5. Laurus Symbolum Castitatis.



Uod benè, feliciterque vertat, *Ethicam Symbolicam* auspiciamur à triumpho, quem femina de viro, homo de Deo, fugiens de fugante, Castitas de impura *Libidine* reportavit. Fabula sic se habet.

Daphne fuit *Penei* fluvij filia (nam olim etiam Flumina inter Numina colebantur) qui è radicibus Pindi Montis Theſſaliæ, Musis Sacratæ, ortus per *Tempe* (nemus ejusdem regionis longè amœniſſimum, & à quo cæteræ hortensium Gratiarum sedes nomen habent) labitur. Venustas formæ, & laus pudicitia, sine discordia, virginem adornabant. Rara Pulchritudo, rarior in illa virtus, primùm in admirationem rapuit oculos, mox etiam in amorem animos. Ex illis, quos casta formositas in desiderium sui pellexit, etiam *Phæbus* fuit, Jovis filius, & diis è majoribus unus. Primas illecebras tum hausit, quando per montem, sibi, ac *Camænis* familiarem licentiùs, quàm castum deceret, vagabatur. Duces, ut fieri amat, in amore frontis lumina præbant; horum face cupiditas exarsit; hæc prima ad flagitium via. Quid multa? cum pudore Virginis certabat incontinentia lascivientis. Illa nuptiarum nomen abhorrebat; hic aliquid extra nuptias quærebat. Illi constitutum erat *Diana* non minùs pudicitiam, quàm studia sequi; hic pertæsus Musarum consortium, jam sagittas non suas, sed Cupidinis sentiebat. *Daphne* multorum quamvis expetita thalamis, castum in viridi cespite torum anteponebat.

A

Nec

Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat. Acce-
debat ad mutandum propositum importunitas patris, ad nuptias non
tam iuuantis, quam urgentis & trahentis.

Illa velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.

Acuit magis hoc parentis telum, jam dudum alto faucibus vulne-
re Phœbus; qui ut expugnaret obfirmatum animum, capit renuenti di-
vinitatis suæ profapiam ostentare, artem canendi, medendique iactare;
blanditias exquisitas & preces addere; sed irritas. Præsidium castitatis
in pedibus quæsiit Daphne; ocyor aurâ per sentes & rubos, per aspera &
plana fugam arripuit; quantoque celerius insequeretur fugientem spes
procantis, tantò expeditiores alas addebat virgini timor.

----- Sic agna lupum, sic cerva leonem;

Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ. Iamque amator
premebat pedem fugientis, eratque similis tenenti, cum Daphne victa
labore fugæ, conijcit oculos in undas Penei parentis, & exclamans:

Fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis:
Qua nimium placui, tellus, ait hæc: vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.

Nec mora; simul hæc dixit, simul est mutata in arborem *laurum*:
Mollia cinguntur tenero præcordia libro,
In frondem crines, in ramos brachia crescunt,
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent, remanet nitor unus in illa.

Ethica.

I. (a) Virginalem Daphnæ castimoniam laudaturus poëta, exag-
gerat eam à primis curis, quas etiamnum tenerior puella habuit de hoc
æcatis illius decore servando, ut quæ nesciebat, quid esset Hymen, quid
amor, quid *connubia*. Secus, quam multis in hoc sexu soleat accidere,
quæ mollibus ab unguiculis instituuntur ad lenocinium voluptatis, *vaga*,
ut Salomon loquitur, Prov. 7: *quieti impatientes, nec valentes in domo
consistere pedibus*. Liberiùs exspatiantur ad spectacula, ad convivia, ad

(a) *Cura castitatis in Daphna.*

tripu-

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi (id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Eru-beant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (b) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;
Vitta coercerat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, *simplex mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cum procantium nobilitas, scientia, opes (Apollinem cogita) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosius ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (c) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissâ ramis laurea, fervidos
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternùm sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quàm qui fugâ tam gloriosa relatus est? De hoc emblemate, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit,

A 2

forn.

(b) Castitatis præsidia. (c) Castitas fugiendo vincit.

Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat. Acce-
debat ad mutandum propositum importunitas patris, ad nuptias non
tam iuuantis, quam urgentis & trahentis.

Illa velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.

Acuit magis hoc parentis telum, jam dudum alto faucibus vulne-
re Phœbus; qui ut expugnaret obfirmatum animum, capit renuenti di-
vinitatis suæ profapiam ostentare, artem canendi, medendique iactare;
blanditias exquisitas & preces addere; sed irritas. Præsidium castitatis
in pedibus quæsiit Daphne; ocyor aurâ per sentes & rubos, per aspera &
plana fugam arripuit; quantoque celerius insequeretur fugientem spes
procantis, tantò expeditiores alas addebat virgini timor.

----- Sic agna lupum, sic cerva leonem;

Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ. Iamque amator
premebat pedem fugientis, eratque similis tenenti, cum Daphne victa
labore fugæ, conijcit oculos in undas Penei parentis, & exclamans:

Fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis:
Qua nimium placui, tellus, ait hæc: vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.

Nec mora; simul hæc dixit, simul est mutata in arborem *laurum*:
Mollia cinguntur tenero præcordia libro,
In frondem crines, in ramos brachia crescunt,
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent, remanet nitor unus in illa.

Ethica.

I. (a) Virginalem Daphnæ castimoniam laudaturus poëta, exag-
gerat eam à primis curis, quas etiamnum tenerior puella habuit de hoc
æcatis illius decore servando, ut quæ nesciebat, quid esset Hymen, quid
amor, quid *connubia*. Secus, quam multis in hoc sexu soleat accidere,
quæ mollibus ab unguiculis instituuntur ad lenocinium voluptatis, *vaga*,
ut Salomon loquitur, Prov. 7: *quieti impatientes, nec valentes in domo
consistere pedibus*. Liberiùs exspatiantur ad spectacula, ad convivia, ad

(a) *Cura castitatis in Daphna.*

tripu-

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi (id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Eru-beant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (b) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;
Vitta coercerat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, *simplex mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cum procantium nobilitas, scientia, opes (Apollinem cogita) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosius ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (c) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissâ ramis laurea, fervidos
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternùm sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quàm qui fugâ tam gloriosa relatus est? De hoc emblemate, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit,

A 2

forn.

(b) Castitatis præsidia. (c) Castitas fugiendo vincit.

fornicationem; at cum de ceteris vitiis vincendis loquitur, *resistite*, hortatur. Victores olim lauro coronatos fuisse, cui non constat? Virgil. 5. *Æneid.*

Sic fatus (*Æneas*) cingit viridantia tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat *Acesten*.

Et *Ovidius* lib. 4. *Trist. Eleg. 2.*

Tempora Phœbea lauro cingentur, ioque
Miles iò, magna voce, triumphe! canet.

Idem victrici *Daphnes* pudicitiae acclamemus; quæ non modò digna est, ut coronetur lauro; sed ut tota abeat in laurum. Vivat *Daphne!* de qua nos, quod *Horatius* lib. 2. *Od. 1.* de *Asinio Pollione Dalmatas* triumphante:

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Verramus in *Daphnen*:

Cui laurus æternos honores
Virgineo peperit triumpho.

O nobilem ergo triumphum, nobilem victoriam, quæ tota pedibus debetur!

IV. (*d*) Cur triumphantes olim lauro coronarentur, hanc adducit rationem *Servius* ad *Eclogam 9.* quoniam, inquit, apud veteres, laurus à laude nomen habuit: nam eam *laudum* dicebant. Cur non igitur in laurum & laudes vertatur *Daphne*, cuius, ut *Poëta* canit, *sideribus similes oculi*, tantæque formæ venustas, ut *Deum* illum, quo non formosior alter in *Superis*, amore sui accenderit; & tamen illa jam tunc *Laurus*, antequam esset *Laurus*, non arserit; nec fulmine, *Cyprio*, inquam, telo, afflata aut tacta fuerit. Quin etiam jam *laurus* facta, virginis tamen sensum retinuit, nam *Phœbus*

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum. Quid mirum ergo, quòd is ipse, qui lauri huius virorem ac nitorem violare tentaverat, victus constantiâ virginis, encomium ei cecinerit:

Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores,
semper habebunt

Te coma, te citharæ, te nostræ, Laure pharetræ:
Tu ducibus lætis aderis, cum festa triumphum
Vox canet, & longas visent capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem firmissima, custos
Ante fores stabis.

(*d*) *Lauream castitatis triumphus.*

Nescio

Nescio enim, quomodo fiat, ut virtus oppugnata tantò evadat pretiosior, quantò in repellendis assaultibus fuerat fortior. An, quia præclarum facinus & ab hoste probatur; & seu vincas, seu vincaris, ex adversarii robore nobiliorem palmam reportas?

V. (e) Laurus olim, quod Ovidius innuit, ante vestibulum palatij Cæsaris Augusti, & successorum, statuebatur, tanquam triumphale victoriarum signum. Optandum sanè, ut ante fores oculorum, aurium, linguæ, hæc arbor excubet, Symbolum Castitatis & præsidium. Laurus, quod Plinius docet, igni oblectatur crepitu. Et mali omnis apud augures erat, laurum in ignem coniectam, non crepuisse. Quid dicam? Castitas, ne uratur, manibus repugnat ac pedibus. Cujus rei memorabile documentum Nicetas, adolescens ille præbuit, qui cum aliter Cypridem rejicere non posset, morsu linguam præcidit, & in lenocinantis faciem exspuit. Baron. anno Christi 252. Equidem in lingua telum gerit pudicitia, quæ si laborat, altiùs clamando reluctandum est Cupidini, vim & facem paranti. Exemplò Daphnes, cave Virginitas; *tigisse, perisse est*. Manum Phœbi evitavit fugiendo laureata hæc Nympha. Et quis putaret? in virginum Musarum vicinia, struuntur insidiæ virginitati; & quidem *lauro*, à laurigero Phœbo? Facile spernat Galatea Polyphemos, & cæteros Aetnæ Cyclopas; Plus est periculi à crispis Apollinariis juvenum cincinnis, à rubicundis genis, blandiente lingua, digitis auro micantibus, & suavem per chordas ac corda pectinem ducentibus. Hic Daphne, si sapis, fuge, & lauream fugiendo compara. Memineris, quod Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis canit:

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.

Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis,

A 3

SYM-

(e) Laurus Symbolum castitatis.